



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvbivm I. Quæ actio dicatur humana aut moralis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

LIBER PRIMVS
DE
MORALITATE NATVRA
ET
EFFECTIBVS
ACTVVM SVPERNATVRALIVM
IN GENERE.
DISPV TATIO I.

De ijs qua requiruntur vt actio aliqua sit moralis.

DV BIVM I.

Qua actio dicatur humana, aut moralis?

1
Actio homi-
nis & huma-
na quomodo
differant.



Nota Primò, aliud esse actionem hominis: aliud eam esse humanam. Nam omnis actio ab homine exercita dicitur actio hominis, sola tamen illa est humana, quæ homini est propria. Sub homine autem hæc etiam angelum comprehendit: quia quod ad rem præsentem spectat, eadem utriusque est ratio.

2
Actio dupliciter homini propria.

Nota Secundò, actionem dupliciter posse esse homini propriam. Primò, ratione suæ substantiæ suæ naturæ: sic intelligere ei dicitur proprium, quia alijs creaturis non conuenit. Secundò, ratione modi, quo à sua potentia procedit, quatenus nimirum agens eam liberè elicit, siue tamquam dominus suæ actionis, eamque in sua potestate habens.

3

Durandus.

Nota Tertiò, etsi *mos* ex prima sua institutione sit idem quod *consuetudo*; tamen, præsertim in plurali, communiter ferè accipitur pro illa sola consuetudine à qua boni vel mali, laude vel vituperio digni sumus: qua ratione omnis illa actio potest dici moralis, quæ quacumque ratione est moraliter bona vel mala, siue quæcumque facit mores hominum meliores aut peiores. Durandus autem in 2.d. 38.q. 1.a. 1. & quidam alij volunt actionem dici moralem à *more*, quatenus consuetudinem significat, quia hæc est prima & propria huius vocis *mos* significatio.

Coninck de act. supernat.

ficatio, atque ita secundum illos omnis illa actio propriè dicitur moralis, quæ sit secundum morem communem hominum, siue eo modo, quo solent communiter homines agere.

Nota Quartò, diuersarum scientiarum tractatores iisdem nominibus diuersimodè utuntur: nam per *corpus* aliud significat Physicus, scilicet quamuis substantiam compositam ex materia & forma: aliud Mathematicus, nimirum quantitatem longam, latam & profundam, prout abstrahit à materia: aliud Iurista in materia legum aut contractuum, ut dum dicit aliquid haberi in corpore Iuris; magistratum iustum adesse in corpore; bona aliqua vendita esse in corpore. quisque enim hac voce utitur, prout eius fini & materiæ explicandæ conuenit.

Ex quo sequitur, ut sciamus quid nomen aliquod in hac vel illa materia, siue prout sumitur ab Auctoribus hanc vel illam materiam tractantibus, propriè significet, non esse spectandum unde deducatur, siue quid vox, à qua deducitur, primò significet: sed quæ significatio illorum fini explicando maximè congruat, & qua ratione illi communiter illud soleant vstare.

CONCLUSIO I. Etsi actio humana apud Physicos possit dici omnis ea, quæ homini, prout à bruto distinguitur, propria est, siue libera sit, siue non; tamen à Philosopho morali aut Theologo illa sola dicitur humana, quæ secundo modo ex dictis n. 2. propria est homini, siue quæ est libera. Ita cum D. Thomas 1. 2. q. 1. a. 1. in corpore, communiter Theologi. & ratio est, quia, cum ipsi tractent de actionibus humanis non quacumque ratione, sed quatenus laude vel vituperio dignæ sunt, & præmium aut pœnam merentur, cumque hoc illis solis conueniat, quæ liberæ sunt, sub hac sola consideratione eas humanas vocant.

*Notem ver-
bis diuer-
sa si-
gnificant.*

*Qua ratione
vera nomi-
num signifi-
catio agud
diuersos au-
ctores in-
quirenda sit.*

*Quæ actio
dicenda sit
humana.*

D. Thomas.

A

CON-